



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ**

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis Pœnitentiæ & Extremæ Unctionis;  
necnon varia summorum Pontificum Decreta, contra Moralis corruptæ  
propositiones, & alia

**Genet, François**

**Parisiis, 1703**

Quæst. I. Perceptio hujus Sacramenti est-ne de necessitate præcepti?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40817**

essent illud petierunt, seu verisimiliter petiissent, seu dederunt signa contritionis, etiamsi deinde loquelam amiserint, vel amentes effecti sint, vel delirent, aut non sentiant, nihilominus præbeatur. Sed si infirmus, dum phrenesi aut amentiam laborat verisimiliter posset quidquam facere contra reverentiam Sacramenti, non inungatur, nisi periculum tollatur omnino.

C A P U T III.

De necessitate & effectibus Sacramenti  
Extrema-Vnctionis.

Quaest. 1. **P**ERCEPTIO hujus Sacramenti est-ne de necessitate præcepti?

Resp. Perceptio hujus Sacramenti videtur esse præcepta periculosè laborantibus, ut probatur ex his Divi Jacobi verbis. *Infirmatur Jacob: cap. 5. quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiae.*

Et ut ait Concilium Tridentinum: *Nec verò Concil. Trident. sess. 14. Sacramenti contemptus absque ingenti dent. sess. 14. scelere, & ipsius Spiritus-sancti injuria, esse cap. 30. potest.*

Necessitas hujus Sacramenti probatur ex fine propter quem institutum est.

Nam, ut ait idem Concilium Tridentinum, *Clementissimus Redemptor noster Extrema- Concil. Tri- Vnctionis Sacramento finem vitae tanquam dent. sess. 14. firmissimo quodam presidio munivit; nam etsi De Sacram. Extrem Vncti: adversarius noster occasiones per omnem vitam in principio, quarat, & captet, ut devorare animas nostras quoque modo possit, nullum tamen tempus est, quo vehementius ille omnes sua versuta nervos intendat ad perdendos nos peni-*

230 TRACTATUS VII.

tus, & à fiducia etiam, si possit, divina misericordia deturbandos, quam cum impendere nobis exitum vita perspicit: Quæ quidem verba hujus Sacramenti necessitatem satis declarant.

Quæst. 2. Quinam sunt effectus Sacramenti Extremæ-Uñtionis?

Resp. Explicantur, ut ait Concilium Tridentinum, per hæc beati Jacobi verba. *Oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit, dimittentur ei.* Hinc constat, duos esse principales hujus Sacramenti effectus, alterum ad corpus, alterum ad animam pertinentes.

Quæst. 3. Quinam sunt effectus pertinentes ad corpus?

Sess. 14. cap. 2.  
S. Tho. in 4. sent. dist. 23. q. 1. art. 2. in resp. ad 2. quæst.

Resp. Sanitatem corporis interdum, ubi salutem animæ expeditur consequitur agrotus, ut ait Concilium Tridentinum. Et Divus Thomas ait: *Sicut ablutio Baptismi habet effectum corporalis abluitionis, quia etiam corporalem mundationem facit: Ita etiam Extrema-Uñctio habet effectum corporalis medicationis, scilicet corporalem sanationem. . . . Sed hæc est differentia, quia corporalis ablutio ex ipsa naturali proprietate elementi facit corporalem mundationem, & ideo semper eam facit. Sed Extrema-Uñctio non facit corporalem sanationem ex proprietate naturali materia, sed ex virtute divina qua operatur rationaliter. Et quia ratio operans nunquam inducit secundarium effectum, nisi secundum quod expedit ad principalem: ideo ex hoc Sacramento non sequitur corporalis sanatio semper, sed quando expedit ad spiritualem sanationem: & tunc semper eam inducit, dummodo non sit impedimentum ex parte recipientis.*